



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Miraculum Domini erga vxorem, & filiam viri fidelis, qui hospitio suscipere
monachos consueuerat. Capvt LXXV.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Eiusdem Palladij verax dictum de Hæresibus

CAPVT. LXXIIII.

COrripiens nos aliquando senex ipse ita nobis dicebat: Credite mihi, filioli, nihil aliud schismata, & hæreses introduxit in sanctam Ecclesiam, nisi quod ¹ non Deum, & nos inuicem valde diligimus.

¹ Hæresium causa est, quod non Deum & nos inuicem valde diligimus.

Miraculum Domini erga vxorem, & filiam viri fidelis, qui hospitio suscipere monachos consueuerat.

CAPVT LXXV.

Idem Abbas Palladius cum alijs ad ipsum venissemus, tale quiddam enarrauit nobis. Erat (inquit) in Alexandria vir quidam fidelis, religiosus valde, & misericors, & hospitio suscipiens monachos. Habebat autem vxorem, & ipsam humilem valde, & ¹ ieiunantem quotidie. Erat autem illis & filiola quasi annorum sex. Quodam vero die vir ille pius profectus est Constantino-polim. Erat enim negociator. Relictis ergo domi vxore, & puella, & vno seruo, abiit vt nauigaret. Cum vero iret ad nauem, ait ad illum vxor: Cui nos commendatos relinquis, domine. Respondit vir eius: Domine nostræ ² sanctæ Dei genitrici. Die vero quadam cum sederet vxor, & operaretur, habens & puellam secum, seruus ille ex suggestione diabolica, voluit necare dominam, & eius filiam & diripere quidquid haberent, & fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro perrexit in triclinium, vbi erant ambæ. Cū vero venisset antecianuā cōprehensus est cæcitate, ita vt neq; tri-

cliniū ingredi, neq; ad coquinā reuerti posset. Cū autē vna ferme hora perstitisset, frustra conaretur ingredi, cœpit vocare dominam suam, dicens: Veni hucusq;. Illa admirans, quod in medio ianua persistens, ad illam non ingrederetur, sed clamaret, ait illi: Tu magis huc veni: ignoras, quia cœcitate teneretur. Puer autem cœpit illam adiurare, vt iret propè illum. Illa verò iurauit, nō se ituram. Tunc ait illi: Mitte vel puellam. Quæ noluit, sed ait: Si quid vis, ipse potius veni. Vidit autem seruus, quod nihil potuisset agere, se ipsum gladio percussit, & corruit. Domina verò illius cū vidisset, quid egerat, clamauit, continuoque vicini accurrerunt. Ingressi sunt autem & ex officio Prætorij nonnulli, puerumq; reperientes ad huc viuum, didicerunt ab ipso omnia, & glorificauerunt Dominum, qui ostenderat miracula, & matrem saluauerat cum filia.

1 *Si ieiunantem quotidie. Vide hic quid promeretur a Deo tam continuum ieiunium, & num fuerit inuile, vt nunc dicunt quidam.*

2 *Ecce quomodo sancta Dei genitrix affuit his sibi commendatis mulieribus.*

Submersio Maria mulieris peccatricis.

C A P V T. LXXVI.

ET hoc item Palladius ipse narravit nobis. Audiui, inquit, nauclero quodam enarrare tale aliquid. Quod die quadam cū nauigaret, vectores habens viros, & mulieres, ventisq; in altum, cæteris omnibus benè nauigantibus, alijs quidem Constantinopolim, alijs verò Alexandriam, & alijs aliò, vento illis flante prospero, ipse solus nauigare non poterat. Et mansimus (inquit) quasi dies quindecim, nihil ex eo loco, vbi eramus, moti. Versabamur igitur in magna